



## **Svmma Juris Canonici**

Comprehensa Tribus Partibus In Qva Distincte Et Svccincte Explicantur,  
quæ ad personas, negotia, & iudicia Ecclesiastica ex Canonum præscripto,  
pertinent

Sive Antinomia Ivris Pontificii Et Cæsarei - per CCL. Differentias plurium  
Doctorum auctoritate probatas, singulari studio in certas classes reducta,  
discussa, & explicata

**Strein, Johann**

**Coloniæ Agrippinæ, 1658**

CCXLCVI. [i.e. CCXLVI.] Differentia 31. Iure civili nulla pœna excedere  
debet quadruplum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61864](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61864)

Iure civili nulla pœna excedere debet quadruplum. §. *Omnes autem actiones. Instit. De action. secus Iure Canonico c. Quisquis. 17. Q. 4. c. Cum deuotissimam. 12. Q. 2. Bartol. 184. Decianus l. 2. c. 20. n. 9.*

I. Quaternarius numerus in pœnis factus est. *Exodi 22. V. 1. si quis iuratus fuerit ouem, restituet quatuor oues pro vnâ l. 2. Reg. 12. Ovem reddet in quadruplum Luc. 18. V. 8. Zachæus pœnitens. Si quem defraudavi, reddo quadruplum. Vnde liquet, numerum hunc etiam divino iudicio comprobatum esse, & sufficere ad satisfaciendum illis, quos iniuriâ, & damno offendimus. Cur autem hunc potius, quàm alium quemlibet elegerint legum conditores, supervacua questio videtur, cum idem de quolibet alio. quærere liceat.*

II. Iudicibus igitur, ne in constituendis pœnis excedant illum, Iustinianus Imperator præcipit, in *cit. §. Omnes actiones, vel in simplum conceptæ sunt, vel in duplum, vel in triplum, vel in quadruplum. Vtcrius autem nulla actio extenditur. Actio in simplum rei persecutoria est, non pœnalis, ut sequentes. Nam in duplum, triplum, quadruplum pœnales sunt: quas non posse excedi, extendiue ulterius, frustra aliqui existimant, cum Cicero *Alt. 5. in Verrem* de pœnâ octupli meminerit. Attamen iuxta legislatoris mentem privato arbitrio extendi non debent. Meta siquidem ad ulteriora pronis figenda erat, Ultra pœnam quadru-*

pli igitur, quæ quidem vera sit pœna, nempe ex ipsius quoque actoris parte non fit progressio.

III. Non desunt exceptiones tamen, Etenim pro seruo fiscali surrepta duodecim argenti libræ fisco inferuntur, quæ quadruplum excedere possunt. Item diversis actoribus supra quadruplum penditur interdum: quod tamen huic loco non repugnat, cum una actio non sit, sed duæ. Denique, ex accusatione pœnam supra quadruplum excessere posse indubitatum est. Sunt præterea alij modi, de quibus *Accursius, & DD. præsertim Menoch. De arbitr. Casu 260. n. 4. c. sequ.*

IV. Propter has, & similes exceptione *Glossa in c. Quisquis. 17. Q. 4. V. Novies ubi damnum novies componendum, seu compensandum dicitur, obijciens §. Omnes cit. quo quadrupli pœnam non licet excedere respondet. Iudex non debet quadrupli pœnam excedere nisi iure exprimat, quemadmodum hic. Nam quandoque extenditur ad decuplum. ut *c. in legib. 12. Q. 2. & c. Cum deuotissimum ibid. De pœna conventionali, quousque extendi queat, consule Everhard. Bronchorst Centur. 2. assers. 8.**